SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI, DOMINI

P I I

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VI.

CONSTITUTIO

Qua Pœnitentiariis in Basilicis, & Ecclesiis Urbis deputatis, & hoc Anno Sancto deputandis:

ITEM

Confessariis a Cardinali Urbis Vicario designandis,

Facultates eodem Anno exercendæ, præter eas a Cardinali Majori Pœnitentiario, ipsius Encyclicis Litteris impertitas, conceduntur,


Adjectis Monitis pro recto earum usu, necnon Declarationibus opportunis.



ROMÆ MDCCLXXV.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

16



PIUS EPISCOPUS

SERUUS SERUORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.



UBI primum Divino impercepto consilio ad Beatissimi Apostolorum Principis Cathedram assumpti fuimus, atque illam Paraclyti Spiritus virtutem accepimus, qua Ipse posuit Nos Ecclesiam Dei regere, & gubernare; maxima quidem perfusi fuimus formidine, cum Nos tanto ferendo oneri prorsus impares agnosceremus. Verum infirmitati Nostræ vim & robur addidit ea consideratio, quod recurrente hoc propitiationis, & veniæ tempore supra Dominicum Gregem fuerimus constituti: Etenim quemadmodum immensa Dei bonitas modo Ecclesiæ filios, ac prævaricatores omnes ad cor revocans, divitiarum suarum thesaurum erga Fideles omnes velut effundit; Ita majori spe adducimur, ut præcipue Nobis spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilii & fortitudinis abunde tribuat. Ideo maxima nostra inter plures suscepti nuper Apostolici ministerii curas, in hoc versatur, ut præsenti Jubilæi Anno jam inchoato, Populi Religionis caussa ad Urbem Nostram, uti novam Jerusalem confluentes, paratos habeant Dei Ministros peramplis facultatibus suffultos, qui vere Pœnitentes a quibusvis reatibus exsolvere valeant: Unde Divinæ participes gratiæ revertentes ad propria, vere filii Dei nominentur, & sint.

I. Quamvis autem imminente jam maximi Jubilæi celebritate a rec. mem. Clemente PP. XIV. immediato Prædecessore Nostro in

Festo Dominicæ Ascensionis mox præterito indicta, cum Apostolica Sedes adhuc supremo careret Ecclesiæ universalis Pastore; Dilectus Filius Noster Joannes Carolus Tituli Sanctorum Joannis, & Pauli Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Boschi nuncupatus, uti Sanctæ Sedis Apostolicæ Major Pœnitentiarius, ex muneris sui debito, & vigore facultatum à Prædecessoribus etiam Nostris Summis Pontificibus Officio Majoris Pœnitentiarii attributarum, quas potissimum Decessor quoque Noster Benedictus Papa XIV. in suis Constitutionibus, quarum altera = *Pastor bonus* = altera vero = *In Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio* = habet initium, complexus fuit, & ampliando recensuit; per suas Encyclicas Litteras Pœnitentiariis minoribus ab eo deputatis, ac deputandis in Basilicis Sancti Joannis Lateranen., & Sancti Petri in Vaticano, ac Sanctæ Mariæ Majoris, necnon Sancti Pauli extra mœnia, atque aliis Urbis Nostræ Ecclesiis, itemque Confessariis a dilecto Filio Nostro Marco Antonio Tituli Sanctæ Mariæ de Pace ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinale Columna nuncupato, in ipsa Urbe ejusque districtu Vicario etiam modo Nostro in spiritualibus Generali, vertente Jubilæi Anno juxta morem deputatis pariter, & deputandis opportunas, distinctas tamen, facultates concesserit & impertitus fuerit, prout in memoratis Litteris sub datum xv. Kalendas Januarii Anni proxime evoluti plenius continetur: Nihilominus, ut Fidelium vere pœnitentium necessitatibus sit opportune consultum, alias nedum circa absolutiones, sed quoad dispensationes pariter magis amplas facultates impertiri intendimus: Motu igitur proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine supra enunciatas Litteras confirmamus in primis, atque ita approbamus, ut iidem Pœnitentiarii minores, iidemque Confessarii illis libere, & valide respective uti queant.

II. Deinde concessam in præfatis Litteris facultatem Pœnitentiariis minoribus ad absolvendas quascumque Personas sibi confitentes ita ampliamus, ut illas absolvere idcirco possint, per se ipsos tamen, & in Foro conscientiæ dumtaxat, a quibuscumque culpis, criminibus, & excessibus, quantumcumque gravibus, & enormibus: Necnon ab omnibus excommunicationis suspensionis & interdicti, aliisque censuris & pœnis Ecclesiasticis præmissorum criminum occasione latis, & per illas incursis, etiam in casibus cuicumque, ac Summo Pontifici, & Sedi Apostolicæ speciali licet forma reservatis, & qui alias in concessione quamvis ampla non intelligerentur concessi; exceptis dumtaxat illis, qui in Litteris Apostolicis super facultatibus Cardinalis Majoris Pœnitentiarii, & Apostolicæ Pœnitentiariæ Officii eidem Cardinali, ejusque Officio leguntur interdicti sub §. primo prædictæ Constitutionis *Pastor bonus* ver. *Principes*; ver. *Minusque possit*. ver. *Nec pariter possint*. & ver. *Nec similiter valeat*; injunctis salutaribus Pœnitentiis, iisque

iisque distinctis ab operibus, quæ pro Jubilæo præscripta sunt, non obstante ejusdem Jubilæi Indulto, & injunctis aliis de jure injungendis.

III. Absolutionem tamen a censuris propter hæresim formalem externam incursis impertiri non possint, nisi iis, qui hæresis complicem non habeant, vel si habent quidem hæresis complicem, pro casu dumtaxat quo ejusmodi complex, aut complices in regionibus, ubi hæresis impune grassatur, existunt, & degunt: prævia in utroque casu coram ipso Confessario abjuratione hæresis secreta, prout etiam in memoratis Encyclicis Litteris cautum est.

IV. In cæteris autem concessis absolutionum casibus, eas omnino conditiones servent, quæ juxta varietatem casuum in iisdem Litteris adiectæ laudabiliter sunt.

V. Concedimus præterea iisdem Pœnitentiariis minoribus, ut dispensare possint super visitatione quatuor Basilicarum cum exteris, qui, vel ob paupertatem, vel ob aliam urgentem caussam in Urbe remanere non possunt, aut reducendo ad tres saltem dies visitationes earumdem quatuor Basilicarum alioquin per quindecim dies ab iisdem visitandarum; vel visitationes præscriptas in alia pia opera ad ipsorum Pœnitentiariorum prudens arbitrium commutando.

VI. Cum Civibus autem, & Incolis Romanis, qui morbo, vel aliquo legitimo impedimento detenti non valent prædictas Basilicas visitare, possint præscriptas iisdem per triginta dies visitationes in alia pia opera, quæ illorum possibilitati proportionata esse viderint, dispensando commutare, suam tamen conscientiam oneraturi, si super hujusmodi visitationibus inconsulto, & sine justa & rationabili caussa, sive cum exteris, sive cum Romanis Civibus, aut Incolis dispensaverint.

VII. Aliis autem concessis dispensationum facultatibus non alite utantur, quam ad formam in præcitatis Litteris præscriptam.

VIII. Confessarii porro pro hoc Anno Sancto a memorato Cardinali Vicario designati aut designandi, se omnino gerant quoad absolutionem a censuris, ac peccatis, & quoad dispensationes juxta facultates ipsis concessas in suis Litteris a Cardinali Majori Pœnitentiario; facta iisdem quoque facultate dispensandi circa visitationes præscriptas quatuor Basilicarum eodem prorsus modo, ac Pœnitentiariis minoribus facta est.

IX. Atque ita pariter se gerant Confessarii Regulares quicumque alias ejusdem Cardinalis Vicarii, seu ipsius Vicesgerentis approbationem ad Confessiones habentes, & insuper per suos respective Regulares Prælatos, seu Superiores ad excipiendas suorum Religiosorum Confessiones deputati, concessa ipsis etiam facultate dispensandi circa visitationes Basilicarum cum suis ejusdem Cœnobii, seu Domus Regularis pœnitentibus eodem, quo supra dictum est modo.

X. Jam vero communi, tam Confessariorum, quam pœnitentium utilitati, ac Spirituali solatio provide intendentes, nonnullas hic etiam declarationes, seu magis apertas volunatis nostræ significationes super hoc indicto præsentis Anni Sancti Jubilæo subnectere opportunum duximus; quibus inspectis, ac diligenter, ut par est, animadversis, pleraque insurgentia dubia anteverti posse, aut facile solutum iri non dubitamus. Eæ autem sunt quæ sequuntur.

XI. Personis Romam ad hoc Jubilæum consequendum venire volentibus non intelligitur data veniendi libertas, sive licentia sine obtento alias necessario suorum respective Superiorum consensu.

XII. Romanorum appellatione quoad visitationes quatuor Basilicarum per triginta dies peragendas comprehenduntur omnes & singuli nati, atque habitantes Romæ, sicut etiam nati, atque habitantes in suburbano vinearum tractu intra quintum ab Urbe lapidem. Incolarum autem nomine ad eumdem effectum intelliguntur omnes illi, qui certum aliquod Officium in Urbe obtinent, seu cum spe illud obtinendi moram ibidem trahunt, idcirco in ipsa quasi domicilium acquirunt: omnesque illi, qui ad eamdem Urbem vel ad aliquem Suburbanum Locum intra quintum lapidem, ut supra, se contulerunt alia quacumque caussa, quam præsentis Jubilæi lucrandi, vel si ipsius lucrandi causa ad Urbem accesserint, eo tamen animo sunt, ut per majorem anni partem, seu ultra sex menses ibi commorentur. Reliqui omnes Peregrinorum aut exterorum nomine quoad visitationes earumdem Basilicarum per quindecim dies se comprehensos intelligant.

XIII. Confessionem, & Communionem pro hoc Jubilæo consequendo injunctas non necesse est visitationibus quatuor Basilicarum præmittere, satis erit vel in hujusmodi visitationum decursu, vel etiam post easdem visitationes expletas Confessionis, & Communionis Sacramenta suscipere.

XIV. Cum Confessio Sacramentalis in Jubilæo sit opus injunctum, peragenda eadem erit etiam ab eo, qui solis peccatis venialibus teneatur, si hoc lucrari Jubilæum velit.

XV. Si quis post Confessionem peractam in lethale peccatum (quod Deus avertat) inciderit; ante quam omnia omnino opera pro Jubilæo hoc lucrando injuncta expleverit, Confessionem denuo præmittere debebit prius, quam ultimam saltem ex aliis injunctis operibus expleat, ut Indulgentiam hoc Jubilæo concessam consequatur.

XVI. Quamvis injuncta pro hoc Jubilæo Communio sit, Pueri tamen, qui nondum ad primam Communionem admissi fuissent, neque intra hunc Annum Sanctum Parochi proprii, vel Confessarii judicio admittendi videantur, censeri possunt ab isto injuncto opere legitime impediti, eisdemque Communionem in aliud pium opus arbitrio Confessarii præscribendum commutari permittimus.

Ad

XVII. Ad injunctam Basilicarum visitationem perficiendam non opus est in easdem Basilicas per Portas Sanctas, vel per harum aliquam ingredi, vel egredi.

XVIII. Si quod superveniat Indultum, quo præscriptus initio visitationum numerus ad minorem redigatur; quisquis ante id Indultum visitationes peregisset paucioribus numero diebus, quam qui in Indulto præscribuntur, in visitationes a se jam peractas utiliter computare poterit ad conficiendum numerum visitationum hujusmodi Indulto præscriptarum; superaddendo nimirum alias, quæ desint ad explendam summam Indulto præfinitam. Si vero eam summam, seu numerum antea jam explevisset, vel etiam excessisset; unum saltem diem visitationis quatuor Basilicarum præterea adjunget, ut Indulti beneficio frui valeat.

XIX. Injunctæ piæ preces in singularum visitatione Basilicarum ad fines in præcitata Constitutione S. M. Clementis PP. XIV. Prædecessoris Nostri pro Indictione universalis Jubilæi expressos effundendæ satis erit, si vocales fuerint. Qui sola mente ad eosdem fines devote orare voluerit laudandus est; aliquam tamen etiam vocalem orationem adjungat.

XX. Qui hoc Anno Sancto bis aut pluries omnia & singula opera, vel primitus in hujus Jubilæi indictione præscripta, vel supervenientis forsan alicujus Indulto, ea quæ in ipsius Indulti concessione pro ejusdem Jubilæi consecutione præscribentur, plene iteraverit, vel prius ad Indictionis, deinde ad Indulti formam, vel prius ad formam Indulti unius, deinde ad alterius fortasse diversi formam, ut præfertur, iteraverit; bis quoque aut pluries poterit hoc Anni Sancti Jubilæum lucrari. Nos enim habita ratione annui spatii, ad quod hujusmodi Jubilæum protenditur, ita de Apostolicæ liberalitatis plenitudine concedimus, & indulgemus; Hoc tamen declarantes, neminem posse, nisi semel, idest prima tantum vice, frui seu potiri favoribus huic Jubilæo adjunctis; quare post primam vicem nullus gaudere amplius poterit beneficio aut absolutionum a novis censuris & casibus reservatis de novo fortasse contractis, aut commutationum aut dispensationum in facultatibus superius positis contentarum.

XXI. Absolutiones a censuris, præter quam datæ ad reincidentiam, qualis, exempli gratia, datur in casu expresso in præmemoratis Encyclicis Litteris, ubi de facultatibus minorum Pœnitentiariorum agitur §. VII.; commutationes item votorum, & dispensationes juxta concessas hoc Anno respectivas facultates semel obtentæ permanent in suo vigore, etiamsi contigerit eum, qui illas jam obtinuerat, mutato postea, quod prius habuerat, sincero & serio proposito Jubilæum hoc lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, de eodem Jubilæo consequendo amplius non laborare.

Suf-

XXII. Suspensio facultatum absolvendi, dispensandi &c pro hoc Anno Sancto a S. M. Clemente PP. XIV. indicta per alias Litteras Apostolicas incipien. = Cum Nos nuper = Datas Idibus Maii proximipræteriti non comprehendit ipsam Romanam Urbem, in qua hoc maxime Anno præstat Operariorum copiam; & auxilia pro expediendis Poenitentibus non imminui. Quicumque ergo in eadem alma Urbe hujusmodi facultatibus alioquin legitime muniti reperiantur, easdem per hunc quoque annum in ipsa Urbe juxta tenorem uniuscujusque concessionis alias obtentæ exercere libere poterunt.

XXIII Extra Urbem vero servanda omnino erit suspensio facultatum in præfatis Litteris expressa, per quam non modo facultates illas, quæ caussa, vel occasione Indulgentiarum concessæ fuissent verum etiam cæteras quaslibet quocumque alio titulo & causa concessas, prædicto anno durante, suspensas esse, & censeri debere, exceptis dumtaxat illis, quæ in præmissis Litteris ab ipsa generali suspensione præservatæ sunt: præsentium tenore, quatenus opus sit, & pari auctoritate adiicimus & declaramus.

XXIV. Præmemorati porro Poenitentiarii, & Confessarii noverint præmissas omnes absolutionum, dispensationum, & commutationum facultates non aliter concessas sibi esse, quam ad expressam in supracitatis Literis Cardinalis Majoris Poenitentiarii formam §§. præsertim XXX. XXXI. XXXII., & XXXIII., ut servare illam idcirco omnino debeant, ac cætera etiam in eisdem Literis præscripta, quæ ampliori facultatum concessioni per præsentes factæ non adversentur.

Præsentes autem Litteras, omnesque & singulas concessiones, limitationes, monita, declarationes, ac voluntatis Nostræ significationes in his contentas de nullo defectu impugnari, aut redargui posse, sed omnimoda firmitate validas esse, & censeri, & ab iis omnibus, ad quos pertinet, exactissime observari, eisque etiam, quorum favorem respective concernunt, plenissime suffragari volumus, atque decernimus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, seu in universalibus Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus & Ordinationibus, nec non quarumcumque Personarum, aut Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum & Institutorum etiam specialem & individuam mentionem promerentium, etiam Juramento Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, legibus, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; Indultis quoque, & Privilegiis etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis, & sub quibuscumque tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam suspensionum & derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis, seu irritantibus Decretis, etiam simili motu, scientia, & potestatis plenitudine, & alias quomodolibet concessis & iteratis vicibus confirmatis & innovatis: Quibus omnibus & singulis, quatenus præsentibus in ali-

quo

quo adversari dignoscantur; illis alias in suo robore permansuris, pro hac vice dumtaxat amplissime & latissime, ac specialitet & expresse, velut si eorum tenores præsentibus per extensum inserti forent, derogamus & derogatum censeri volumus, & decernimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum concessionum, limitationum monitorum, declarationum, mandatorum, decretorum, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo septuagesimo quarto, Quinto Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno Primo.

A. Card. Nigronus Pro-Datarius. J. Card. de Comitibus.

VISA
De Curia J. Manassei.

Loco ✠ Plumbi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi Millesimo septingentesimo septuagesimo quinto, Indictione octava, die vero Vigesima sexta Februarii Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Domini PII PP. VI. supradictæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Atrio Basilicæ Principis Apostolorum, & Basilicæ Lateranensis, & Sanctæ Mariæ Majoris, & ad valvas Cancellariæ Apostolicæ, & Magnæ Curiæ Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Flore, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Antonium Besani Apostolicum Cursorem.

Petrus de Ligne Magister Cursorum.